

*Giovanni da Palermo chiede
la remissione della scomunica
per gli uomini di Placanica*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

*Giovanni da Palermo chiede
la remissione della scomunica
per gli uomini di Placanica*

1329-12-06

In nomine Domini amen. Anno ab incarnatione eiusdem millesimo trecentessimus vigesimo nono, die sexto mensis decembris, tertie decime inditionis apud Bovam. Regnate serenissimo domino nostro rege Ruberto, Dei gratia inclito Ierusalem, et Sicilie Rege, Ducatus Apulie, et Principatus Capue, Provincie, et Forcalquerii, ac Pedemontis comite. Regnorum suorum anno vigesimo primo feliciter amen.

Nos Philippus de Guglielmo iudex Bove, Nicolaus Tropeanus regius publicus notarius per totum Iustitiariatum Calabrie per curiam ordinatus, et testes subscripti ah hoc vocati, specialiter et rogati. Presenti scripto publico notum facimus et testamur, quod constitutus in nostra presentia reverendi in Christo patris domini Basilii, Dei gratia bovensis episcopis, et egregii viri domini Guglielmi Ruffi de Calabria, familiarium et officialium suorum, de cuius procurazione nobis constitit per quoddam publicum instrumentum inde confectum manu mei predicti notarii, et ipsius domini Guglielmi familiarium et officialium suorum precibus requisitionibus, et rogatu et etiam sindicus et nuncius ad infrascripta universitatis hominum Motte Palitii et Veteris Brutiani, et omnium, et singulorum hominum clericorum et laicorum universitatis iam dicte, de cuius sindicatus nobis constitit per quodam confectum exinde instrumentum scriptum manu mei predicti notarii, idem procurator, procuratorio nomine et pro parte universitatis ipsius, omnium et singulorum hominum clericorum et laicorum universitatis ipsius, ab eodem domino episcopo appellationes interposuit infrascriptas coram vobis reverendo in Christo patre domino Basilio, Dei gratia bovensi episcopo, Ioannes

de Panormo de Squillacio procurator, actor, et nuncius egregii viri domini Guglielmi Ruffi de Calabria, familiarium et officialium suorum, ab eis ad infrascripta canonice legitime ordinatus, ut constat per quoddam confectum exinde publicum instrumentum. Considerans ergo quod in subsidium oppressorum appellationis remedium sit indultum, et quod melius est occurrere ante tempus, quam in tempore mendicare. Idcirco dictus procurator, procuratorio nomine et pro parte eiusdem domini Guglielmi, familiarium suorum, nec non dictus Guglielmus familiares et officiales eius prespicientes, quod vos reverendo pater domine episcopo proponentis contra eundem dominum Guglielmum, familiares et officiales eius, res et bona ipsorum, excommunicationis promulgare sententiam, eosque res et bona eorum enormiter et indebite aggravare, ex delegatione seu mandato factis vobis per dominum rheginum archiepiscopum, vel eius vicarium, seu vestra ordinaria iurisdictione, seu potestate, pro eo quod idem dominus archiepiscopus, et eius vicarius asserunt eundem dominum Guglielmum, dicto domino archiepiscopo et rhegine ecclesie ad certum annum censum teneri pro terra dicta Palitii, et defuerunt in solutione census predicti; quod idem dominus Guglielmus non credit, neque asserit, esse verum et etiam quod destituit idem dominus archiepiscopus, seu destitui fecit officiales ipsius domini Guglielmi possessione quorundam bonorum stabiliium, sitorum in terra et tenimento Bove, que fuerunt Pancratii de Vito de Bova, eidem domino Guglielmo obligatorum per ipsum Pancratium pro unciis octo liliatorum, quos ipsi mutuavit prout inscripto quoddam publico exinde confecto plenius continetur. Precipue cum de hoc non fuisset confessus

commonitus, nec convintus, nec aliquis ordo iudiciarius sit propterea habitus contra eum prout in predictis continetur, et aliis gravaminibus per commissarios, dicti domini archiepiscopi, vicarii, et alios processus indebite habitos contra eum innotescit eidem domino Guglielmo. Idem procurator, procuratorio nomine, et pro parte eiusdem domini Guglielmi familiarium et officilium suorum, a quocumque excommunicatione, seu maiori quocumque gravamine illata, vel illata inferenda, vel inferendo per vos contra eundem dominum Guglielmum familiares et officiales eius, res et bona ipsorum, et predictam rationem, vel alia quocumque ad Sedem Apostolicam in ipsis scriptis appellat, sibique per vos apostolicos, procuratorio nomine, qui supra cum instantia sepe sepius exhiberi petit, cum sciretis eundem dominum Guglielmum familiares et officiales suos res et bona ipsorum procurare, in defensione ipsius Apostolice Sedis, quam appellationem in actis curie vestre redigi, petit ad ipsorum cauthelam a qua non intendit rendere per quecumque actum huic forte contrarium, vel diversum nisi expresse infrascripto renunciaverit.

Et quod presens appellatio per predictum procuratorem in presentia dicti domini bovensis episcopi, in domo eiusdem episcopi, presente iudice Philippo de Guglielmo, iudex Bove, Nicolao Tropiano regio publico notario per totum Iustitiarium per curiam ordinato, Nicolam Crathara, Philippo de Guglielmo, Michaellem Crathara, et Ioanne Guirati testibus ad hec vocati et rogati. Anno dominice incarnationis millesimo trecentesimo vigesimo nono, die sexto mensis decembris, tertie decime inditionis, pontificatus domini Ioannis Pape vigesimi secundi, anno quartodecimo.

Quos iudicem notarium et testes rogat quod ipsorum cauthelam conficiant publicum instrumentum unius, et alterius appellationis coram nobis reverendo in Christo pater domino Basilio bovensi episcopo, Ioanne de Panormo de Squillacio syndicus, actor et nuncius specialis universitatis hominum Motte Palitii, Veteris Brutiani, et omnium, et singulorum clericorum, et laicorum terre predictae ab eis ad infrascripta legitime et canonice ordinatus, ut constat per quoddam confectum exinde publicum instrumentum. Considerans quod in subsidium oppressum appellationis remedium sit indultum et quod melius est occurrere ante tempus quam in tempore mendicare. Idem procurator, syndicus, et nunciis nomine et pro parte quorum syndicus et nuncius est presens ergo reverendo pater domine Basili bovensis episcopo contra universitatem iam dictam, omnes et singulos, clericos et laico, homines universitatis iam dicte familiariam, res et bona eorum, excommunicationis et interdicti proponitis promulgare sententiam, ipsamque universitatem omnes singulos clericos et laicos homines universitatis ipsius, res et bona eorum, enormiter et indebite aggravare, ex delegatione seu mandato factis vobis per dominum rheginum archiepiscopum, vel eius vicarium, seu vestra ordinaria iurisdictione, seu potestate pro eo quod idem dominus rheginus archiepiscopus, vel eius vicarius asserunt nobilem et egregium virum dominum Guglielmum Ruffum de Calabrie, dicte terre dominum, dicta domino archiepiscopo et rhegine ecclesie ad certum annum censum teneri pro Petra dicta Palitii, et defueret in solutione census predicti. In quo homines, omnes et singuli, clerici et laici universitatis iam dicte, et ipsa universitas minime teneuntur et est, quod idem dominus archiepiscopus destituit, seu destitui

fecit, officiales eiusdem domini Guglielmi possessione quorundam bonorum stabilium quae fuerunt Pancratis de Vito de Bova, sitorum in terra seu tenimento Bove, obligatorum eidem domino Guglielmo per ipsum Pancratium pro unciis octo liliatorum, quos ipsi mutuavit prout in quodam scripto publico inde confecto plenius et serius continetur, et iustitia suadet, quod alteri, per alterum iniqua conditio, minime inferatur, prout de predictis probationibus continetur, et aliis gravaminibus per comminationem dicti domini archiepiscopi, et eius vicarii, et alios processos indebito habitos contra eos innotescit eisdem, sindicum nomine, et pro parte hominum omnium, et singulorum, clericorum et laicorum universitatis iam dicte, et eandem universitatem a quacumque excommunicationis, seu interdicti sententia, et quocumque gravamine illata, vel illata inferenda, vel inferendo per vos contra universitatem hominum dicte terre et omnes, et singulos clericos, et laicos terre predictae familiarum, res et bona predicta, rationem et aliam quamcumque potestatem inferatis et promulgatis eadem ad Sedem Apostolicam in scriptis appellat, sibi que per vos, sindicario nomine predicto, cum instantia sepe, et sepius exhiberi apostolicos petit subiiciens homines universitatis iam dicte, et omnes et singulos, clericos et laicos, res et bona eorum, officia et beneficia clericorum ipsorum procuracione et defensione ipsius Apostolice Sedis. Nos vere volentes iustis petitionibus assensus debitum non denegare, quia in premissis omnibus interfuimus ad ipsius Sedis Apostolice certitudinem, et predictorum dicti domini Guglielmi familiarium ex officialium suorum, et omnium singulorum hominum clericorum et laicorum universitatis praedictae, ac predicti

procuratoris et sindici cauthelam, presens scriptum publicum sibi exinde fieri fecimus per manus mei predicti notarii publici, scriptum et subscriptum signo meo solito signatum, signo et subscriptione dicti Iudicis et subscriptorum testium signos et subscriptionibus roboratum ipsius Ioannis petitionibus et rogatu. Actum anno, die, mense, loco, et inditione praemissis. † Ego Philippo de Guglielmo qui supra iudex terre Bove testor. † Ego Ioannes Gueriti testor. † Ego Philippus de Guglielmo testor.

Questa parte è ripetuta nella trascrizione con piccole varianti. Probabilmente, anche in questo caso, il copista si serve di più esemplari (e copie) del del documento.